



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Enchiridion Sev Manuale Episcoporum Pro Decretis in  
Visitatione, & Synodo, de quacumque re condendis.**

**Gavanti, Bartolommeo**

**Venetiis, 1650**

cap. 27. De Confessarijs cleri Synodalibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9534**

Una dicitur vantar omnes, poterit in fine coniecti liber Scrutinij, asseruandus inter Acta congruentius.

11. Ante obitum dimittatur Synodus, valde vile erit, vt hi Praefecti conueniant coram Episcopo, & summarie referant communio-rem statum totius Cleri. quod si quid in communi monendum erit, Decreto opportuno imminenti malo prouideatur, aatequam discedat Clerus.

12. Qui ex his Praefectis non habent in Synodo locum, aut sedem propriam puta, quia neque Canonici, neque Parochi sint, sedere possunt à tergo Vicarij Generalis, vt praesto quoque sint cum eo ad procurandam disciplinam Synodalem in Clero iuxta Tabellam ea de re edendam, vt supra scilicet praecipua cura Praefectis incumbit.

13. Peracta Synodo dabunt Episcopo Acta in Secretario, distincte scripta, cum catalogo eorum, qui tenebantur accedere, & eorum qui non accesserunt: & in fine totius scripturae subscribant propria nomina, cognomina, & titulum Praefecti Scrutinij.

DE IUDICIIS QUERELARUM  
& excusationum. Cap. XXIV.

1. Duo, vel tres vna cum Vicario generali deputari solent ad audiendas contro- uersas, seu querelas: qui prout de iure, bre- uitate tamen forma iudicij adhibita, illas diri- mant, & has diiudicent.

2. Idem excipiant libellos supplices datos pro excusatione absentium examinandos de iure de per acta Synodo.

3. Si quae nascuntur controuersae de ordine se- dendij, seu procedendi, iidem breui manu componant, citra praedictum arbitrium.

DE PROCURATORE CLERI.  
Cap. XXV.

1. VT quiete, sine tumultu, agantur om- nia, solet alicubi deputari ab Episcopo Procurator Cleri, ad quem adeat Clerus, vt eius nomine cum Episcopo communi nomi- ne agat in Synodo, si quae forte decernantur difficiliora. quod si Clerus eum elegerit ad alia negotia Cleri, ille ipse poterit etiam ab Episcopo nominari. agat autem petita in Synodo uenia ab Episcopo, & etiam debita modestia, & reuerentia.

2. Quaecumque petierit nomine Cleri, petat in scriptis Secretario dantis Vide in 4. part. cap. 8.

DE OECONOMO, ET  
Cathedratico. Cap. XXVI.

1. Quicquid soluitur pro Cathedratico, quod varium est variis in locis, pro eo exigendo constituitur Oeconomus; & is esse solet Magister domus Episcopi.

2. Solent Episcopi quandoque condonare Ca- thedraticum; quod in Decreto erit exprimen- dum, ne fiat in praedictum Episcopa- lis Cathedrae.

3. Est enim introductum in honorem Cathedrae Pontificalis: quod alij uocant Synodati- cum, quia soluitur in Synodo.

4. Regulariter duo solidi soluntur in pecunia uisuali, vt patet ex consuetudine communi, & ex Actis Eccl. Mediol. Neapoli ex antiqua consuetudine Cataleni quinque.

5. In Prouincia Mediolan. ex Actis eiusdem Ecclesiae, soluitur tantum à Parochis. alibi ab alijs quoque beneficiatis. attendenda erit locorum consuetudo.

6. Non placet illa exigendi quotannis Synodati- cum (nisi aliud consuetudo postulet) omil- sa quotannis Diocessana Synodo.

ANNOTATIO. §. 4.

1. Non potest Episcopus augere Cathedrati- cum, ex Decr. Congreg. Cardd. super negotia Episc. in vna Isernien. 15. I un. 16. 19.

DE CONFESSARIIS CLERI.  
Cap. XXVII.

1. Expedi, & praesertim in prima Synodo, quod Episcopus remittat Clerum suum à Synodo bene purgatum à peccatis, illumina- tum Decretis, & unitum sibi, & Deo: idcirco deputare poterit sex, vel octo Confes- sarios saeculares, & regulares cum omnimo- da Episcopali facultate ad audiendas Cleri Diocessani Confessiones.

2. Imò eisdem communicare poterit faculta- tem, quam habet in capite. licet. Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. vt tollantur si quae sint, secretae irregularitates à Clero.

3. Terminus autem praedictarum facultatum satis erit, à diebus sex, vel octo ante Syno- dum, ad totidem dies post Synodum, & pro Clero tantum.

4. Hic uero tempore Synodi conueniant in Ecclesia Cathedrali ante sessiones, & post eas, vt quemcunque de Clero accedentem audire possint. domi quoque eos audire poterunt, si ij uelint: non autem tempore actio- nis